IOANNIS IACOBI ORGEATII GALLI I.C.

IN ALMO FERR. GIMNASIO POLITIOREM HVMANITATEM PROFITENTIS.

IN OBITV ALOYSII ATESTINI Principis Illust.mi & S.R.E. Cardinalis Ampliss.

ORATIO.



FERRARIAE,

Apud Iulium Cæsarem Cagnacinium, & Fratres.


De licentia Superiorum. 1587.



NOBIL.^MO ET ERVDIT.^MO VIRO, ET PHILOSOPHO INSIGNI D. ANTONIO MONTECATINO,

SERENISS. ALFONSI FERRARIAE DVCIS INTIMO CONSILIARIO.

Ioannes Iacobus Orgeatius Gallus. S. P. D.



ON te latet Excellentissime vir, altero ab hinc anno ALOYSIVM *Atestinum Illustriss. Principem suis me tibi litteris non parùm commendasse, nec de me agere, nisi perfecta re conquieuisse. Quod cùm ita sit, quantis lachrymis, quantis suspirijs, quantis deniq; singultibus me illius obitum prosequutum fuisse credis? Quem quidem cum primùm intellexerim, præceps calamum, paginamq; arripui, funebremq; Orationem, quæ tanti Principis de me optimè meriti laudes complecteretur componere non dubitaui. Idq; adeò magis, vt dolorem, quem animo acerbissimum conceperam extruderem, ne dicam lenirem, quàm vnquàm in lucem proferri existimarem. Sed posteaquam complures homines ingenio, & eruditione florentes, mihiq; summa beneuolentia coniuncti illam conspexerint me vehementer rogauerunt, & quasi impulerunt, vt illam per manus hominum volitare permitterem. Id itaq; feci, & in tuo nomine*

 libentius

libentius apparere volui, cùm te tanti Principis studiosissimum fuisse certò scirem, tùm quòd ex tuis præclarissimis in Aristotelis libros de Anima commentarijs oratoriam facultatem admodum tibi placere facilè cognouerim, præsertim cùm sine illis orator esse non possit. Quid? non ne causarum genera, quæ orator recipere debet, à tribus animæ partibus proficiscuntur? Ab irascibili enim iudiciale nascitur. Qui enim accusat, ira compulsum esse quis ambigit? A' concupiscibili verò deliberatiuum. Qui enim aliqua de re consulat, non ne cupiditate aliqua motus, quod intendit suadet, vel dissuadet? A' rationali deniq; demonstratiuum. Laudem enim omnem non te latet ab aliqua ratione descendere. Tacebone alia quæ eruditissimè in Politicorum Aristotelis libros cõmentaria scripsisti, in quibus tota Reipublicæ administratio, quam Iurisprudentiæ finem esse volunt, consistit? Quibus quidem tuis voluminibus eleganter, concinneq; scriptis cum plurimùm Italiam ne dum Ferrariam illustraueris, nunquam verebor, quin laus tua longè, lateq; diffusa ad Gangem fluuiorum maximum extendatur vsq; quin etiam id qualecunq; sit munus, meæ perpetuæ erga te obseruantiæ pignus si non mearum virium ratione, quas perexiguas esse fateor, saltem rei magnitudine de qua agitur tibi non ingratum fore. Vale vir optime, & tuum Orgeatium ita sustine, atq; defende, vt Aloysius Illustrissimus Princeps suis litteris tibi commendatum reliquit

Datum Ferrariæ Calen. Martij anno à Virginis partu sesquimillesimo supra octuagesimum septimum.

IOANNIS IACOBI ORGEATII GALLI

IN ALMO FERR. GYMNASIO POLICIOREM HVMANITATEM PROFITENTIS,

IN FVNERE ALOYSII ESTENSIS Principis Illustriß. & S. R. E. Cardinalis Ampliß.

ORATIO.

SI non dubitamus priuatos homines, qui præclara dum viuerent facinora gesserunt, diuinis post obitum laudibus affectos, olimque publica Oratione fuisse celebratos, ut suus cuique honos esset tributus, quem ciuilis vitæ finem plerique esse dixerunt, quantò magis Ferrarienses Amplissimi Principes, & Regia Familia editos commemdari, & diuinitus ornari debere, omnibus est in confesso, à quibus non sine Dei prouidentia rerum humanarum gubernacula reguntur, populorumq; salus cum uitæ commoditate curari solet? Hoc mehercule laudis genus non illis maximè debetur, quod post mortem plurimùm sit necessarium. Sed ut nostro dicendi munere fungamur, ne ingrati, ac tot beneficiorum erga nos collatorum immemores esse videamur, nec non alijs Principibus vitam uiuentibus vti calcaria adhibeamus, ut res præclarè gerentes, cum è vita cesserint, eodem genere laudis, se dignos præstent. Qui prætereà summos Principes commendant; Dei munus commendare quis ambigit? qui cuncta bona nobis largitur, & à quo regnandi potestatem dari nemo est quin fateatur. A' maioribus enim nostris traditum est, omnem principatum à Deo esse, & Principes Dei filios, & simulacra appellari. Quamobrem cùm Aloysij Atestini Principis Illustrissimi laudandi laborem susceperim, tametsi dicendi facultatem modicam mihi inesse videam, illum tamen detrectare, & subterfugere non potui neq; debui, tùm quòd talem Principem multis de causis laudandum optimè norim, tùm quòd eo sum natus ingenio, vt illas tacere virtutes non possim, quæ nostro seculo gloriæ, & posteris exemplo esse solent. Si verò ea, quæ dicenda essent verbis complecti non potero, non tantùm in vires meas, quæ sunt sanè perexiguæ, sed etiam in maximam temporis angustiam transferendam esse culpam cogitate. Nec certè priusquam

singulas quæ huic clementissimo Principi tribuendæ sunt virtutes aggrediar, plurima, de Serenissimi Arestinorum Principum generis antiquitate, & dignitate sunt mihi differenda. Si enim omnia sigillatim enumerare vellem, totus quidem hic dies dicenti mihi non satis esset. Quis enim ambigit Arestinorum Principum familiam adeò præclaram semper extitisse, & à tot potentissimis Principibus, Regibus, Imperatoribus, Romanisq; Pontificibus illustratam, vt ab hinc per multos annos nullæ poterunt scribi historiæ, quin de præclarissimis illorum Principum facinoribus facta sit mentio? Longa quidem narratione opus esset, ac historicum potius quàm oratorem agere viderer, si quæ de Hercule (ne rem longius repetam) in lucem proferenda essent, & iampridem litteris sunt commendata, enarrarem. Ille namq; tot ægregias virtutes, totq; singulares animi dotes per totum vitæ curriculum omnibus pate fecit, quot alij nunquam Principes in laude versati, & summa gloria florentes præ se tulerunt. Quis illius incredibilem benignitatem perpetuoq; prædicandam in eius populum Ferrariensem verbis exprimere vnquam posset, qui cuncta se libenter facturum non recusabat, quæ Ciuibus suis iucunda, & grata esse perspiciebat? Hic magnus ille Princeps, qui Serenissimam Renatam Valesiam Ludouici Duodecimi Christianissimi Gallorum Regis filiam, vxorem duxit, regijs quidem moribus, & disciplinis ita decoratam, vt ad tanti nominis gloriam, dignitatem, amplitudinem, & honorem acquirendum nihil pręterea esset requirendum. Hæc Annam Arestinam Guisiæ Ducem Serenissimam, quæ semper pietate Deum sibi conciliat, libertate Gallos, doctrina doctissimos, bonitate suos, clementia vniuersos. Galliarum Regio si tales Principes procrearet, & efficeret, non ne mater beata, non ne fęlix esset appellanda? Non dicam hoc loco Auditores prudentissimi, talem Principem argumentandi acumine, respondendi prudentia, interpretandi scientia plurimùm valuisse. Hæc Serenissimam Lucretiam Arestinam Vrbini Ducem sapientissimam, quæ splendore vocis, maiestate vultus, venustate pronunciationis præstans est, quæ corporis dignitate, orationis grauitate prepotens. Hæc Leonoram Illustrissimam Principem, quę virgo animam egit. Fuit virgo mansueta, fuit salutaris, fuit Princeps liberalis. Beati Ciues, qui eius liberalitatem experiebantur. Beatæ Respublicæ, quæ eius maiestate fruebantur, ualuit hæc sapientia, ualuit prudentia, ualuit doctrina, floruit eloquentia, floruit animi altitudine, floruit administratione propè diuina. Hæc ALFONSVM Serenissimum Principem Ferrariæ Ducem, cuius nomen ita longè lateq; vagatum est per terrarum orbem, vt sedem stabilem, domicilium certum non habeat. Quis obsecro tanti Principis nomen aliquando non audiuit? Quis

animi

animi magnitudinem non est admiratus? Quis illius facta propè diuina non laudabit? Quæ priuata domus, quæ publica, quæ sacra religio illius aspectu vel mœstissima non lętabitur? Quæ Ciuitas, quæ Prouincia, quæ Regio illius Oratione vel afflicta non recreabitur? Hic summo, & regio genere, tùm altissimo animo natus, cùm sit ad omnes virtutes magnus. & excellus, omni scientiarum genere est cumulatus, in bellis inuictissimus, in concionibus venustissimus, in explicandis Principum, Regum, Imperatorum, & summorum Pontificum negotijs disertissimus. Hæc deniq; ALOYSIVM Atestinum Principem Illustrissimum & S. R. E. Cardinalem Amplissimum ex Hercule, procreauit, cuius hac tempestate obitum non mediocriter deploramus, & cuius ad laudes pro ingenij mei viribus celebrandas omnis hic meus pertinet sermo. Si cunctos enim Atestinæ familię Principes recensere velim, longo verborum circuitu vti necesse haberem, meaque non breui oratione vobis maximam afferrem molestiam. Quis enim nescit omnes Atestinos Principes omni virtutum genere excellentes? Sed nihil est in terrarum orbe, quod diu possit permanere. Cuncta profluunt, omnisque rerum facies ætate procedente mutatur. Accepistis Amplissimi Ferrarienses Ægiptios olim fortunatos. Accepistis Assyrios, Medos, atque Persas florentissimos. Accepistis denique Græcos Asiæ Regnum occupasse. Sed quis eorum nunc est status? Corruit tandem latissimum Romanorum Imperium, quod nobis satis argumento esse potest, nullam perpetuam esse potentiam, nullamque fœlicitatem magnopere diuturnam. Sed Atestinorum fortuna non est sanè deploranda. Viuit enim feliciter Serinissimus, & inuictissimus Alfonsus, qui non solùm Atestinorum Principum decus tuetur: Sed vniuersæ Italiæ ornamentum sustinet, & cuius laudes in aliud mihi tempus differuntur: cùm necesse habeam in Aloysium carissimum illius fratrem orationem conuertere. Hunc enim iure optimo summis potissimùm laudibus mihi honestandum proposui. Fuit verò hic præter paterni maternique generis uenustissimam formam, corpore adeò pulchro adeòque uenusto, vt qui eum conspicarentur, verè dignum imperio iudicarent. Habebat enim aptam membrorum compositionem, cum quadam coloris suauitate, talemque præ se ferebat formam, vt vnusquisque ex ea reconditos cognosceret mores. Quis enim nescit tacitam corporis figuram coniecturam afferre, ipsumq; animum sæpius indicare, varijs etiam virtutum generibus enitescere? Quibus iam inde à pueritia naturæ impulsu se addixit, ut ad Deo Opt. Max. inseruiendum natus videretur. Vnde probitatem annis maturiorem cunctis penitus admirantibus patefecit. Nihil efficere, nihilque funditus enarrare audebat, quod uere-

cundæ

cundæ ætati, regijsque moribus instituendæ non conueniret, & sua sponte ad ea propensus ferebatur, ad quæ sagax & sedulus præceptor, vt suo munere fungeretur hortari solebat. Crescebat illis ætas, crescebat pudor, & honestatis amor. Quæ omnia cùm Paulus quartus Romanus Pontifex probè norit, illum Ferrariæ Episcopatus dignitate decorauit, Pius deinde quartus ad purpuratorum patrum Amplissimorum Cardinalium Collegium erexit. Qua in dignitate constitutus (ut religiosum Principem decet) singulari beneuolentia omnes semper complexus est. Non enim dubitabat cunctos Cardinales hominum piscatores esse, sicque à Deo arctissimis vinculis astrictos, atque deuinctos, vt sine magno nefario scelere dissolui non possint. Tantùm voluptatis, & dignitatis nonnunquàm capere solebat, quantùm personæ decorum patiebatur, ratioque ipsa postulabat. Nunquam se alijs præferebat, sed eos solitus erat despicere, qui se claris parentibus ortos insolenter ostentabant, & omnium ferè laborem detrectantes, domi inertem vitam agebant. Ab adolescentia semper fuit amicis carissimus, Regibus acceptissimus, diuitijs semper floruit, & ætate prouectus magis ac magis exuberauit, quibus tot clientelas, & amicitias sibi comparauit, ut quòcunque se reciperet maxima clarissimorum hominum turba stipatus esset. Deinde cum virtute sua non tantùm in Italia: Sed etiam in Gallia, totoque terrarum orbe (vt postea dicemus) fortunam amplificasset, tantam existimationem, tantamque auctoritatem est consequutus, vt quæcunque ceteri Principes summo conatu tentarent, solo nutu perficeret, quem non tantùm Itali, & Galli: Sed etiam Hispani, atq; Germani obseruabant, colebant, & admirabantur, & cui Sixtvs Quintus Dei voluntate Pontifex Maximus tantam fidem semper habuit, quantam alijs Principibus ferè nunqnam habuisse dicatur. Nihil enim in antiquis Principibus fuit, quod in Aloysio Atestino Cardinali benignissimo uerè, & sine fuco non fuerit. Ea enim prudentia præditus erat, vt quæ futura essent multò ante conijceret, & cum inter homines orta seditio esset, tanta cum arte, & dicendi facultate, cunctorum animos permulcebat, & in ueterem gratiam reducebat, ut alter alterum sine vlla simultatis suspitione deoscularetur. Ita hic solers & prouidus Princeps cuncta coniectura præuidebat, & ex aspectu hominum ingenia, in quibus complures non desunt latebræ, cognosceret. Hic mihi uisus est is, qui non humano: Sed diuino ingenio præditus quicquid tentaret nauiter exequeretur. Cùm domi uersabatur, omnia quæ ad concordiam, & animorum coniunctionem pertinebant, prudenter meditabatur, priuatorum inimicitias extinguebat, populi tumultum sedabat, honorem omnium, & dignitatem extrenuè defendebat. Tantam denique

non

non solùm Italorum, & Gallorum: Sed etiam cuiuicunque orbis terrarum nationis Principum beneuolentiam de uno quoque benemeritus conciliauit, ut non minorem Italis, quàm Gallis, quorum semper acerrimus fuit defensor, mœrorem attulerit. Suæ tantùm uitæ consulere non studebat: Sed posteritatis etiam non mediocrem rationem habebat. O' Venerandum Aloysium summa cum dignitate, summeque cum honore semper nominandum. Quis enim semper maximorum Principum copiam domi secum habuit? Aloysius. Quis litteratorum hominum multitudinem tanquam alter Mœcènas recepit? Aloysius. Quis in homines iucundissimam consuetudinem habuit? Aloysius. Quis in peregrinos ingentem hospitalitatem tenuit? Aloysius. Quis beneuolentiam in Ciues ostendit? Aloysius. Quis misericordiam in pauperes patefecit? Aloysius. Quis pietatem in Deum? Aloysius. Quis religionem in sanctos demonstrauit? Aloysius. Tantæ itaque illius in omnes sunt singulares uirtutes, quæ me profectò uirum doctrina cultiorem, arteque dicendi longè præstantiorem postularent. Quis de tanti Principis preclaris uirtutibus præter Philosophum doctè, & erudite disserere potest? Quis de ijs præter oratorem perornatè, & eleganter dicere? Quis in eloquentia, quæ aliud nihil est, quàm copiosè loquens sapientia, tanto cum Principe conferri poterat? Quis illius in quotidianis sermonibus uerborum granditatem, splendorem, & maiestatem non admirabatur? Quis non existimabat grauissimas illius sententias, acutas, crebras, ex abdito erutas, non è medio sumptas diuinitus, & non humanitus excogitatas? Quis Aloysij numeros non laudabat? Quis artificiosam conclusionem non commendabat? Quò nolebat auditores rapiebat, iure suo eosdem flectebat, cadentes erigebat, erectos prosternebat, modò tristes, modò iucundos efficiebat. Iactassent Græci Lysiam, Hyperidem, Demadem, Æschinem, atque Demosthenem, nihil illis, solo Aloysio, contenti, inuidebamus. Si enim dicendi copiam, si amplificationem sine qua eloquentia nulla est, si colores, si figuras, si pigmenta, ceteraque orationis ornamenta perquirebatis, nemo certè erat, qui Aloysio præstare potuisset. Quis facilius in animos irrepiebat? Quis maiori dicendi artificio hominum cetus tenebat? Quis denique concinnius uerborum lepores alligabat, ut aurium uoluptati oratio morigerari potuisset? Desinite quæso obstupescere ò iuuenes, desinite inquam. Plus enim ualebat Aloysius, quàm humanum consilium ualet. Plus efficiebat Aloysius, quàm humanæ uires non efficiunt. Vna enim tantùm oratione id agebat, quod potentissimi Reges magno quidem exercitu agere non poterant. Quis ò Gallia amantissima tui populi furorem sedabat? Quis tui Regni Principes concordes conserua-

bat? Quis quæ tibi erant utilia, pulchra, honesta suadebat? Quis tuis rebus afflictis,& penitus lapsis moderabatur? Quid plura Ferrarienses ornatissimi? Dum enim omnia quæ Aloysius præclarissimè gessit memoria repeto, ingenij mei uires mihi deficere sentio, & rerum multitudine obruor. Quantus erat iustitiæ & æquitatis cultor? Hic acri iudicio omnia perpendebat, nihilque præter legis scriptum agere audebat, & quanuis plura iure suo sibi tribuere poterat, nunquam tamen rationis lineam transiliebat. Probos præmijs afficiebat, & honoribus (vt verum Principem decet) decorabat. Improbos impunitos abire non sinebat, eo tamen cum temperamento, vt ęquitatem in oculis ferendam putaret. Sed vt quàm bene, quamque laudabiliter domi forisque se gesseit non taceam, non ne Aloysium tanquam numen Romani uenerabantur? Non ne Aloysius totum terrarum orbem hospitio libentissimè suscipiebat, suaque suaui dapsilitate vrbem Romam gentium dominam sic emendauit, ut semper suæ probitatis vestigia remaneant, & tanti Principis largitionem redoleant? Quot Viduas suo prędidio tutatus est? Quot pauperes qui à diuitibus præmebantur subleuauit? Hic verè fuit Aristides cognomine iustus. Hic pietatis obseruantissimus. Hic quotidie rem diuinam attentis auribus percipiebat. Hic res diuinas protegebat. Hic mendicos, qui in vrbem confluunt inanes nunquam dimittebat. Nemini horrea, Nemini eius domicilium claudi iubebat. Quid de illius animi magnitudine, & constantia dicendum? Hic annos complures in purpuratorum patrum dignitate religiosissimè uixit. In summorum Pontificum, aliorumque Principum gerendis negotijs nullum periculum, nullamque animi solicitudinem extimuit, nec recusauit. Labori deditus. Somno parùm indulgens. Tempore antelucano surgebat. Stationes quocunque tempore visebat. Brumale frigus, æstiuumque calorem contemnebat, & quanuis corporis ualetudine iam opprimeretur, animi tamen virture tanquam alter Cato, omnia, quæ iuuenes audebant, de se pollicebatur. Quam fortis, & magnanimus, fuerit extremo suæ uitę die demonstrauit, qui cùm Christianissimi Gallorum Regis, legatum, permultosque alios suæ familiæ non obscuro loco natos miserabiliter flentes aspexisset, cur (inquit) ploratis? Non ne debemur morti omnes? Quis uel si maxima floreret eloquentia pro dignitate exprimere posset, quantùm sibi ab omnibus uoluptatibus temperarit, quæ frequenter mortales præcipites agunt, & honesti, decorique immemores reddunt? A' teneris (vt Græci dicunt) unguiculis probitatem sanctissimè coluit, & domitas cupiditates habuit. Nunquam nimio diuitiarum desiderio flagrauit, quod omne flagitiorum genus comperit. Nunquam odio, quod totum animum non mediocriter

perturbat, deditus fuit. Nunquam iræ succubuit, quæ omnem rationem auferre solet. Si quando irascebatur penitiorem in domi partem ingrediebatur, composito demum animo hominum sibi subiectorum errores conspiciebat, eisque ignoscebat. Gulæ nunquam fuit deditus, nunquam nimiæ potioni. Magistram rerum omnium moderationem habuit. Viuebat eleganter, & cum amicis opiparè conuiuari solebat, & quanuis in alto dignitatis, rerumq; gradu à natura, fortitudine, & virtute collocatus esset, non plus tamen quàm ratio sibi patiebatur, vindicabat, & crebrò de sua auctoritate aliquid remittabat. Cum inferioribus enim æquis passibus deambulabat. Famulos vel si abiectiores essent, comiter alloquebatur, hilari vultu aspiciebat, & omnia quæ possunt optimo in Principe desiderari, tantus Princeps hic habuit, reque ipsa demonstrauit scientiam scilicet Reip. capescendę virtutem, auctoritatem, & fęlicitatem. Quis enim in prouidendo sagacior? Quis iustior, & æquior? Quis maiorem in gerendis negotijs laborem sustinuit? Quis in periculis fortior? Quis in agendo magis industrius? Quis in conficiendo maturior? Tanta hoc in Principe uno animi, & corporis ornamenta perspeximus, quanta in alijs Principibus vnquam uera fuerunt. Prӕterea quę par oratio inueniri potest? Si enim liberalitatem, si fidem, si comitatem, si mansuetudinem, si affabilitatem, si denique misericordiam ullo in loco inuenire potuissetis, in eo facilè erat reperire. Quàm clemens, & benefactorum memor fuerit agens animam indicauit, qui Christianissimi Gallorum Regis legatum ad se uocauit, eumque uehementer precatus est, vt Serenissimo Alfonso fratri, & hæredi suo Cęsari Atestino Illustrissimi Principis Alfonsi filio summa fide, summa pietate, summa denique religione insignito, & quem maximis virtutibus & omni genere laudis ornatissimum esse non ignoramus significaret, eos qui suam operam per aliquot annos præstitissent, ac fideliter seruiuissent aut domi esse retinendos, & benignissimè tractandas, aut honestis præmijs remunerandos. Quid plura? Hic mihi uerę diuinitatis particeps visus est, qui horam prędixit, qua è vita cessurus esset, & omnia quæ suo cadaueri necessaria essent parari iussit. Hunc itaq; ornatissimi Ferrarienses deplorare, hunc prosequi lachrymis debemus. Amisimus enim amicorum propugnatorem, amisimus vnicum virtutis, bonorumque omnium exemplum. Suspirare, lamentari, & gemere omnes Christiani deberent, qui tanti Principis consilio, ope, & prudentia non solùm Turcharum furores paruifacere poterant. Sed etiam nefandos Hæreticos euertere, & ad extremum exitium extrudere poterant. Intimis sensibus angi summus Pontifex, purpuratorumque patrum Amplissimum Collegium deberent, qui talem virtute prędictum

Principem amiserunt, qui omnium aliorum sapientissimus extitit, & in totius Christianæ Reipublicæ administratione iure optimo principem locum tenuit. Sed quoniam Aloysius humanissimus Princeps homo erat, & tandem inreriturus, dolori moderandum, & lachrymis parcendum esse censeo. Præsertim cùm mors illi nihil obesse potuerit, qui quanuis octauum supra quadragesimum tantùm annum egerit, eam tamen rebus suis præclarissimè gestis, gloriam est adeptus, quę nullo sanè tempore dirimi poterit, & cùm tot virtutum præsidio septus nihil mali egerit, ad Cęlum procul dubio ascendit, unde rerum humanarum uicissitudinem despicit, & vnà cum electis lętitia exultans æuo sęmpiterno perfruitur.

D I X I.